MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81213-9

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

BECK, CHRISTIAN DANIEL

TITLE:

PRAGMATICAE HISTO-
RIAE APUD VETERES...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1810

Master Negative #

93-81213-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

887 Beck, Christian Daniel. 1757-1832.
Z3 Pragmaticae historiae apud veteres
ratio et judicum.
Lipsiae 1810. Sq.Q. 14p.
In memory of Johann August
Ernesti.
No. 9 of a volume of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 MM REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-25-93 INITIALS BC
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
Inches
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 9.

AD

ORATIONEM

MEMORIAE ERNESTIAE

SACRAM

D. XV. SEPT. IN AVDIT. MAI. H. IX

AVDIENDAM

HVMANISSIME INVITAT

CHRISTIANVS DANIEL BECKIVS

ORD. PHIL. H. T. DECANVS

Pragmaticae historiae apud veteres ratio et iudicium.

LIPSIAE

LITTERIS ACKERMANNIIS

MDCCCX

Examinauimus alio tempore iudicia artis historicae classicorum scriptorum tum vniuersae [1]) tum in moribus hominum describendis causisque et euentis bellorum enarrandis [2]) conspicuae, ita, vt quibus rebus et modis illi cum nostris comparari possent, animaduerteremus. Sequitur vt, quam illi vel ipsi dixerint, vel vere scripserint, *pragmaticam historiam*, quaeramus. Nam vocabula eadem illa a nostris hominibus vsurpata legimus [3]), praeeunte vt videtur Polybio, vnde fieri facile potuit, vt, quam iis recentiores inesse voluissent notionem, eamdem fere expressam esse a veteribus statuerent [4]), idque tanto magis, quanto certius est, eos qui se pragmaticum hi-

1) Nonnulla de iudicio artis historicae classicorum scriptorum, Progr. L. 1805.

2) Examen artis et rationis historicorum vett. in iudicandis ingeniis et moribus, Progr. 1806. Iudicium artis historicorum vett. in causis et euentis bellorum exponendis, Pr. 1809.

3) Post *Ioh. Dav. Koeleri* Comm. de historia pragmatica, Altorf. 1714. 4. plures de ea exposuerunt, suisque scriptis huius nominis vsu commendationem quaesiuerunt. Quae quum saepissime nulla esset, factum est, vt ipsum nomen in contemtum et desuetudinem abiret, et *philosophica historia* potius iactaretur, non feliciori euentu.

4) Eo pertinent *Casauboni* et *Reiskii*; illius legenda sunt verba in Dedic. edit. (T. III. p. 626 ss. ed. Ern.) et in Comm. (T. I. p. 742. Ern.) Huius autem haec sunt verba (Animm. ad Graecc. auctt. Vol. IV. p. 488.): „Toties laudat Polybius historiam pragmaticam, eamque esse suam persuadere vult, vt actum agere etiam post Casauboni in hac voce illustranda operam non videamur, si, quae sit eius vis, exponamus. Optime eius vim reddit dictio francogallica hodie vsitatissima: *histoire raisonnée*. Est enim haec

storiae modum sequi inter veteres professi sunt, causas etiam et rationes rerum indagasse et exposuisse, praeceptaque de moribus et de ciuitate regenda narrationibus inseruisse. Qua de re etsi subtiliter satis disputatum esse a Schweighäusero [5]) videri poterat: tamen nec deerant quae illis adderentur, et nomen dudum contractum, de quo nuper appellatus amice sum, erat dissoluendum.

Polybius igitur, quo loco [6]) suos rerum commentarios non ita iucundos fore lectoribus omnibus, qui varietate rerum et narrationum delectentur, ostendit, tria distinxit genera, quae omnia *historiae* [7]) nomine comprehendi poterant, primum, quod mythis et genealogiis deorum heroumue enarrandis oc-

historia illa, quae exemplis et praeceptis prudentiae, quibus abundat, hominem ciuilem instruat, quem Graeci *pragmaticum* appellant, qui ἐν τοῖς πράγμασι versatur, h. e. in re publica, in actione rerum ciuilium et magnarum. — Est itaque historia pragmatica, nostro sic dicta, ea, quae quum rerum plena sit non commentitiarum sed vere gestarum, euenti cuiusque rationes omnes, quae quidem ad rem totam cognoscendam et perspiciendam sint necessariae, diligenter et copiose exsequatur, causas eruat, consequentia demonstret, eoque lectorem prudentia ciuili et facultate instruat, cum de narrationis auctoritate iudicandi, tum si opus sit, res pares gerendi. Confirmat hanc definitionem nostram locus Plutarchi in Galba, haud procul init. [c. 1. T. V. p. 602. Reisk.] τὰ μὲν οὖν καθέκαστα τῶν γενομένων ἀπαγγέλλειν ἀκριβῶς, τῆς πραγματικῆς ἱστορίας ἐστί. Idem auctor τὸ πραγματικὸν appellat id, quod ioculari, ridiculo, absurdo contrarium est, graue, constans et consentaneum; vt adu. Stoicos p. 1060, 15. [T. X. p. 376. Reisk. s. T. V. P. II. p. 325. Wyttenb.] ἢ ταυτὶ μὲν, εἰς τὴν τῶν ἐώλων καὶ ψυχρῶν ἀγορὰν βεύλει παρῶμεν· ἐν δὲ τοῖς ὡς ἔνι μάλιςα πραγματικοῖς καὶ μετὰ σπουδῆς λεγομένοις ποιησώμεθα τοῦ λόγου τὸν ἔξετασμόν." Haec Reisk. verum ita non effectum est, πραγματικῆς ἱστορίας amplissimam esse illam, quam voluit, vim et notionem.

5) Ad Polyb. I, 2, T. 5. p. 125 ss. qui quidem docet Polybio ita dici *illud historiae genus quod in rebus gestis explicandis versatur.*

6) IX, 1 s. T. III, p. 91 s. Schweigh.

7) Vocabuli enim latissima fuit vis, ita vt omnem et inquisitionem et cogitionem et narrationem et scriptionem rerum quae vel visuntur vel audiuntur vel factae dicuntur vel vere gestae sunt, significauerit. Sed verbi ἱςορεῖν, ab ἵςωρ (v. Lennep. Etym. L. Gr. p. 280. ed. sec.) deriuati et voc. ἱςορία et ipse persequutus sum significatus (Anleit. z. Allgem. Welt- und

euaretur, quodque antiquissimum fuisse satis constat, secundum quod in exponendis originibus vrbium et ciuitatum et coloniarum versaretur, tractatumque a multis est [8]), tertium, quod in ipsis gentium et regum factis rebusque gestis inesset; quorum quodque suos haberet lectores: τὸν μὲν γὰρ φιλήκοον ὁ γενεαλογικὸς τρόπος ἐπισπᾶται· τὸν δὲ πολυπράγμονα καὶ περιττὸν ὁ περὶ τὰς ἀποικίας καὶ κτίσεις καὶ συγγενείας, καθά που καὶ παρ' Ἐφόρῳ λέγεται· τὸν δὲ πολιτικὸν ὁ περὶ τὰς πράξεις τῶν ἐθνῶν καὶ πόλεων καὶ δυναστῶν. Ἐφ' ὃν ἡμεῖς ψιλῶς [9]) κατηντηκότες καὶ περὶ τοῦτον [10]) πεποιημένοι τὴν ὅλην τάξιν, πρὸς ἕν μέν τι καὶ γένος, ὡς προεῖπον, οἰκείως ἡρμόσμεθα. Vbi illud γένος esse hoc ipsum quod περὶ τὰς πράξεις versatur, facile apparet. Iam cur illud reliquis anteposuerit, et constituerit αὐτὰ τὰ κατὰ τὰς πράξεις γράφειν, qua de re alibi copiose dixerat, breuiter ita exponit: nam quum multi, inquit, variis modis et diligenter enarrauerint τά τε περὶ τὰς γενεαλογίας καὶ μύθους καὶ περὶ τὰς ἀποικίας, ἔτι δὲ καὶ συγγενείας καὶ κτίσεις, reliquum fuisse, vt, qui de his rursus scriberet, aut aliena tamquam

Völkerg. I. p. 3.) et alii exposuerunt (Schweighäus. ad Polyb. T. V. p. 127. Creuzer. hist. Kunst d. Griech. p. 174 ss. Fabri Encyklopädie d. histor. Hauptwiss. p. 49 ss.), vnde de iis disserere non est necessarium.

8) De vtroque genere cf. Heynii Comm. de Apollod. Bibl. p. XXXI ss. T. I. ed. sec. Addi possunt, quae de Hecataei Genealogiis, Charonis Κτίσεσι, Xanthi Lydiacis disputauit Creuzer. ad Fragmm. hist. Gr. antiquiss. p. 45. 119 ss. 140 ss. quique de historiae inter Graecos origine scripserunt Creuzerus (1803) et nuper Falckius (Kil. 1809. qui tamen vere dixit, libellum plus promittere, quam praestet). Cf. et Commentar. de scr. Gr. I. p. 16 ss.

9) h. e. *simpliciter*, non admixtis aliis aliarum rerum narrationibus. Ita noster aduerbio hoc vsus est III, 118, 11. VIII, 4, 3. Ita Lucian de M. Peregr. 39. ψιλὰ διηγούμην simplicia, nullo addito ornatu, enarraui. ψιλὴ ἔννοια Longin. 9, 2. simplex sententia, verbis ornatis non expressa. Lat. dicitur *nude*, quod adu. reponendum Cic. de Or. I, 9, 38. pro lect. codd. *nuda*, vbi e coniectura vulgatum *nutu*.

10) Ita pro περὶ ταύτων, et antea pro ἐφ' ὧν necessario scribendum erat, sed quae sequuntur, non persanantur mutato voc. τάξιν in σύνταξιν, immo tum περὶ τούτων retinendum erat. Puto locum esse lacunosum, ita integritati reddendum: πεποιημένοι τὴν σπουδὴν, τὴν ὅλην σύνταξιν πρὸς ἓν μέν τι καὶ τοῦτο τὸ γένος —

sua diceret, aut operam frustra contereret, quum de his componeret librum, quae iam a maioribus satis fuerint declarata et tradita. *Pragmaticum* igitur modum siue genus a se ideo praelatum esse [11]) docet, primum quod continuo noua generantur (διὰ τὸ καινοποιεῖσθαι συνεχῶς), quae noua indigeant expositione, quum antiquioribus non licuerit τὰς ἐπιγιγνομένας πράξεις nunciare. Deinde quod illa ratio vtilissima et olim fuerit et nunc cum maxime sit, quum experientia et artes tanta ceperint incrementa, vt, quidquid acciderit, periti homines [12]) arte quadam et ratione tractare possint. Ex quibus quidem intelligitur, primum, Polybium *pragmaticam historiam* opposuisse charrationi mythorum, genealogiarum, originum vrbium et coloniarum [13]), deinde retulisse ad πράξεις, facta et res gestas, denique vtilissimam iudicasse iis, qui mentem animumque advertercnt [14]), nihil autem de causis rerum gestarum explicandis aliisque animaduersionibus addendis dixisse.

Quem vero h. l. τὸν πραγματικὸν τρόπον appellauit, eumdem alibi [15]) τὸν τῆς πραγματικῆς ἱςορίας τρόπον nominauit. Quo loco etsi videri poterat, pragmaticae historiae notione comprehendisse praeter τῶν πράξεων narrationem, etiam comparationem earum cum aliis euentis et populis, quam nostri interdum ad illam retulerunt, propterea quod antea comparauit ipse inter se Persarum, Lacedaemoniorum, Macedonum, Romanorum imperia, quorum hoc, quod postremum dictum est, praestantissimum fuerit: tamen intelligitur eum haec duo, quae e

11) ὁ πραγματικὸς τρόπος ἐνεκρίθη — exspectari poterat προεκρίθη, sed ἐγκρίνεσθαι etiam dicuntur, quae seliguntur, aliisque praeferuntur, vt τοὺς τῆς ψυχῆς ἕρωτας ἐγκρίνειν Plut. de puer. educ. c. 38. extr.

12) Hi enim h. l. esse debent Φιλομαθοῦντες, non, discendi studiosi.

13) Non autem historiae naturali, vt existimauit Schweighäus. V. p. 128.

14) Recte enim προσσχόντων pro προσχόντων reposuit Schweighäuser. De quorum verborum permutatione non vulgaria attulit Schaefer. praef. ad Iulian. Or. in laud. Const. p. XXII.

15) I, 2, extr. vbi non discrepare videtur ab ea quae c. 1. ineunte simpliciter ἡ ἱστορία dicitur; nam ibi monuit τοῖς πρὸ ἡμῶν (ante me) ἀναγράψουσι τὰς πράξεις οὐ παραλελεῖφθαι τὸν ὑπὲρ αὐτῆς τῆς ἱστορίας ἔπαινον.

suo opere cognoscenda essent, bene distinxisse, scilicet magnitudinem imperii Romani et vtilitatem historiae pragmaticae.

Duo sunt alia scriptoris nostri loca, in quibus propius ad eam, quae recentius constituta est *historiae pragmaticae* notionem, si modo vere ea constituta est, accessisse videatur; sed vtroque diligentius examinato apparebit, non eum ab illa, quae superioribus locis iisque claris continetur, ratione deflexisse. Nam quum Xanthippi, Spartani, Carthaginensium ducis, exposuisset victoriam, clademque Reguli exposuisset, indeque duo eaque saluberrima vitae praecepta repetiisset, esse fortunae in rebus secundis diffidendum, et, quod Euripides dixerat [16]), vnius prudentiam multorum vincere fortitudinem, atque docuisset, duas esse hominibus propositas vias ad meliorem vitae institutionem, alteram per proprios casus, alteram per alienos, illam certiorem, hanc tutiorem ideoque sectandam et ineundam, ita de historia, quae hanc viam aperiat, decreuit: ἐξ ὧν συνιδόντι [17]) καλλίστην παιδείαν ἡγητέον πρὸς ἀληθινὸν βίον τὴν ἐκ τῆς πραγματικῆς ἱστορίας περιγιγνομένην ἐμπειρίαν. μόνη γὰρ αὕτη χωρὶς βλάβης, ἐπὶ παντὸς καιροῦ καὶ περιστάσεως, κριτὰς ἀληθινοὺς ἀποτελεῖ τοῦ βελτίονος. Iam vero etiam hic *pragmatica historia* est ea, quae simpliciter euenta, singulatim casus et infortunia aliorum, et accurate enarrat, non quae de iis subtiliter philosophatur. Etenim experientia, ad quam historia illa adducit, ex ipsis factis, non e commentis opinionum, existit, neque inde, quod Polybius, quid ex Reguli casu intelligi possit, indicauit, sequitur eum hoc ad ipsam pragmaticam historiam retulisse. Qua de re infra monebitur. In altero loco, vbi de variis rerum publicarum formis agit, Platonis aliorumque philoso-

16) In Antiopa fr. XII, 3 s. quod dictum in prouerbii vsum abiit, certe saepe a veteribus laudatum, sed parieti domus cuiusdam inter rudera Herculanensia, non antiqua sed recentiori manu, nec ex Eurip. ipso, sed ex Polybio inscriptum est. v. Schow in Charta papyracea musei Borg. p. 111 ss. et de Murr in Specimm. scripturae Graecae tenuioris p. 3.

17) I, 35, 9. Perperam in ed. Schweigh. post συνιδόντι commate interpungitur. Videri possit hoc participium ex proxime antecedente verbo συνιδεῖν male repetitum esse, nisi eo saepe ita vsus fuerit Polybius.

phorum variam de iis esse docet, sed paucis intellectu facilem disputationem. Itaque se inde ait non nisi, quantum ad pragmaticam historiam et communem intelligentiam pertineat, depromturum esse [18]). Ex quibus quidem verbis, ne quis colligat, auctorem historiam pragmaticam dixisse eam, quae cum rerum narrationibus coniungat arcte politicas quaestiones, obseruandum est, constituisse eum hoc loco, quod diserte ipse dicit [19]), narrationis progressum sistere, et, vt pateret, Romanis ad imperium multarum terrarum occupandum plurimum contulisse ciuitatis formam, de hac et de aliis etiam πολιτείαις exponere. Seiuncta igitur haec disputatio est ab ipsa historia, eaque pragmatica, quamquam et partem historici libri efficit, et ad rerum gestarum narrationem praeparat. Inseruiunt enim, ex Polybii sententia, huius generis quaestiones historiae rerum gestarum, non eam constituunt, et tantum ex iis est adferendum, quantum ad rerum narrationem ipsam recte intelligendam necessarium videatur. *Rerum* autem *verè gestarum expositionem* Polybium ita dixisse vel inde patet, quod et eos reprehendit, exemplo ab Hannibalis itinere sumto, qui illi fabulosa admisceant commenta [20]), et secludi a rerum narratione voluit, quaecumque ad situm locorum et naturam artesque pertineant, quamquam ea non aliena esse ab historia iudicauerit, ne a rerum gestarum argumentis lectores auocarentur [21]).

18) διότερ ὅσον ἀνήκειν ὑπολαμβάνομεν αὐτοῦ (τοῦ λόγου illius) πρὸς τὴν πραγματικὴν ἱστορίαν καὶ τὴν κοινὴν ἐπίνοιαν, τοῦτο πειρασόμεθα κεφαλαιωδῶς διελθεῖν VI, 5, 2.

19) τῆς διηγήσεως λήξαιμεν, ἐπεὶ διεληλύθαμεν, ἃς περιέσχε τῶν τε κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ τῶν Ἑλληνικῶν πράξεων ἡ τετταρακοστὴ τῶν Ὀλυμπιάδων πρὸς ταῖς ἑκατόν. Ἐν δὲ τῇ μετὰ ταῦτα βίβλῳ, βραχέα προσαναμνήσαντες τῆς ἐν τῇ Γ' βίβλῳ (nam ita legendum est pro ἐν ταύτῃ τῇ βίβλῳ, v. III, 2, 6. vbi etiam est: φήσαντες δ' ἐπὶ τούτων τὴν διήγησιν, τὸν ὑπὲρ τῆς Ῥωμαίων πολιτείας συστησόμεθα λόγον, quae verba repetuntur VI. init.) προκατασκευῆς, ἐπὶ τὸν περὶ τῆς Ῥωμαίων πολιτείας λόγον ἐπάνιμεν — V, 111, 9 s.

20) καταστροφὴν οὐ δυνάμενοι λαμβάνειν οὐδ' ἔξοδον τοῦ ψεύδους, θεοὺς καὶ δεᾶν παῖδας εἰς πραγματικὴν ἱστορίαν παρεισάγουσιν III, 47, 8.

21) ἀπὸ τῆς πραγματικῆς ὑποθέσεως III, 57, 4.

Sed *accuratam* etiam plenamque rerum gestarum enarrationem dici, Plutarchi ostendit locus supra iam in Reiskii animaduerss. laudatus [22]).

Verum tria vidi opponi posse iis, quae de notione *historiae pragmaticae* apud veteres dicta sunt; primum, ipsum vocabulorum πράγματα et πραγματικὸς vsum. Etenim, quae sunt verba *Reiskii* T. IV. Animm. ad Grr. auctt. p. 4 s. „πράγματα saepe de rebus maximis dicitur e. c. bello, pace, conscribendis exercitibus, constituendis legibus, et quae ad maiestatem pertinent omnibus. Sic paulo ante noster de Macedonibus οἱ πλείστων δόξαντες κύριοι γενέσθαι καὶ τόπων καὶ πραγμάτων. Vniverse πραγματικὸς est homo, qui solerti praeditus ingenio, adiutus aduentitia doctrina, confirmatus denique longo vsu rerum, subactus et tritus in rebus, earumque gerendarum peritus euasit [23]). Ita πραγματικῶς στρατηγεῖν ap. Diod. S. II. p. 123, 64. est prudenter, callide, perite imperare, v. eiusdem p. 594, 53. 598, 97. Inde saepe adiungitur a nostro τῇ ἐμπειρίᾳ ἡ πρᾶξις peritia rerum gerendarum multo vsu parta. — Nostro p. 1282, 21. πραγματικὸν πολίτευμα est constitutio reipublicae prudens, ab hominibus sapientibus et rerum peritis profecta. Idem p. 1288, 30. factum aliquod appellat πραγματικόν, solerter, bene, prudenterque excogitatum. P. 1292, 6. πραγματικὸν est animus veterator, dissimulator, tectus, cuius consiliorum nihil emanat. Recte p. 1506, 20. vertit Casaubonus πραγματικῶς cato consilio. P. 1523, 16. sunt πραγματικαὶ ὑποθέσεις sententiae ad

22) τὰ καθ' ἕκαστα τῶν γενομένων ἀπαγγέλλειν ἀκριβῶς, τῆς πραγματικῆς ἱστορίας ἐστίν.

23) Vereor ne etiam hic a R. illata multa sint, quae per se vocabulo non insunt. Nam πραγματικὸς dicitur et is qui negotia publica tractat (Polyb. III, 7, 5. 6. XII, 27, 10. qui πολιτικὸς IX, 1, 4.) et qui idoneus est rebus publice gerendis (id. VII, 11, 2.) singulatim ciuilibus negotiis (vnde πραγματικοὶ et στρατιωτικοὶ distinguuntur XIV, 1, 13.) et rebus gerendis omnino aptus, vnde prudentem, peritum, callidum, validum denotat, atque inde etiam ad res ipsas transfertur, sic vt quidquid prudenter et solerter, publice privatimue, instituatur et geratur, πραγματικὸν appelletur. Cf. Schweighäus. ad Polyb. V. p. 126 s.

τὰ πράγματα pertinentes, h. e. ad rempublicam. Hinc manavit formula *sanctio pragmatica, typus pragmaticus,* h. e. edictum, quo princeps sancit, qua ratione geri negotium aliquod velit, quo multorum populorum salus continetur [24]), et homines *pragmatici,* i. e. forenses, iuris periti, in subselliis iudicum et vsu fori habitantes; de quibus pragmaticis v. praeter Plutarch. in praec. civ. p. 1458, 21. Gesneri Thes. lat. Lingu. h. v." Recte. Sed inde non sequitur, eam quam posuit historiae *pragmaticae* notionem esse veram. Nam πράγματα etiam res gestae quaelibet dicuntur, τὰ πεπραγμένα [25]), et pro iis saepe Polybius nominauit τὰς πράξεις [26]), τὰ γεγενημένα aut γιγνόμενα, τὰ συμπίπτοντα, τὰ προγεγονότα (III, 31.), quibus vocabulis cuenta et facta omnia indicari neminem fugit. Πραγματικὸς autem proprie est, ad facta, res, negotia, pertinens [27]), qua prima vocabuli significatione Lexica nostra augenda sunt [28]). Ita Perseo Macedoniae regi tribuitur (Polyb. XXVI, 5, 6.) σωματικὴ (i. e. σώματος) χρεία ἡ διατείνουσα εἰς τὸν πραγματικὸν τρόπον, i. e. εἰς τὰ πράγματα, εἰς τὸ πράττειν.

24) Immo proprie edictum est de rebus et negotiis ciuilibus, nec, quod, praecuntibus Glossariis vett. additur (v. Brisson. de verb. ad ius ciuile signif. p. 1111.), adhibitis in consilium viris prudentibus et diligenti examine rei (Forcellini Lex. Lat. III. p. 530.), per se vocabulo inest. Add. Cangii Gloss. med. Graec. p. 1215. et Gloss. med. Lat. h. v.

25) V. Polyb. I, 3, 3.

26) Neque tamen πρακτικὴν dicere potuit *ἱστορίαν*, quamquam alias πρακτικὸς idem valet quod πραγματικός. Loca in Schweighäus. Lexico Polybiano laudantur. Ap. Xenoph. tamen Cyrip. I, 6, 3. lectio πραγματικώτερος non vulgatae πρακτικώτερος praeferenda est, quoniam πραγματικὸς illo significatu post Alexandri tempora magis vsurpatum esse videtur.

27) *Negotialis* reddi potest cum Quintil. Inst. Or. II, 21, 3. Cf. Forcellin. Lex. laud. III. p. 161.

28) Neque enim verum est, quod Fischer. Anim. ad Weller. III, 1, p. 352. coll. II. p. 50. censet, adiectiua ita desinentia, tantum facultatem, peritiam, aptitudinem cupiditatem eius rei, quae verbis nominibusne vnde ducta sunt, inest, indicare; immo discernenda sunt quae a verbis aut inde ductis vocabulis personarum et quae a nominibus rerum deriuata sunt.

Deinde singulatim, ad res ciuiles bellicasue pertinens. Ita (Pol. XXXII, 6, 7.) πραγματικαὶ ἀποφάσεις opponuntur τοῖς περὶ τῶν ἰδίων ἐπιτηδευμάτων λόγοις, et Aratus (IV, 8, 1.) dicitur τέλειος εἰς τὸν πραγματικὸν τρόπον, et Cratesipolidi (a Diod. S. XIX, 67. init.) tribuitur πραγματικὴ σύνεσις h. e. prudentia rerum ciuilium [29]). Itaque πραγματικὴ ἱστορία recte dici potuit ἡ τῶν πραγμάτων, rerum (publice) gestarum *ἱστορία*. Quid vero? cur eam Polybius πραγματικὴν dixit *ἱστορίαν*, quae *ἱστορία* simpliciter poterat appellari? Et Polybius quidem, quod iam Schweighäuserus animaduertit, tum quae de pragmatica historia praedicat, alibi de historia omnino decreuit (vt I, 1. ss. I, 35, 9. coll. V, 75, 6) tum Aulum Postumium Albinum (XL, 6, 4.) πραγματικὴν ἱστορίαν ἐγχειρῆσαι ait, quem alii simpliciter *historiam* aut *historias* aut *res romanas* [30]) graeco sermone tradunt scripsisse. Causa vero huius rei nec in alia historiae pragmaticae notione, nec in quadam Polybii inconstantia, sed in eo quaerenda est, quod, vt vidimus, vocabulum *ἱστορία* proprie enarrationem quarumcumque rerum spectatarum, auditarum, cognitarum, acceptarum vndecumque significabat. Polybius igitur nunc angustiorem vocabuli vim sequutus est, nunc, vt accuratius definiret, quod narrationis genus amplexus esset, πραγματικὴν dixit, quod vocabulum plerique alii scriptores non addendum esse censuerunt. Verum illud notabilius est, quod Polybius non modo iudicauit, causas rerum et quae iis adiuncta sunt easue consequuntur scriptorem rerum gestarum oportere indagare et exponere lectoribus [31]), atque ita vtilem

29) Ita apud Cic. Ep. ad Att. XIV, 3. πραγματικὸν est, quod ad res ciuiles spectat, non quod ad recte agendum prodest, vt Ern. interpretatur. Apud philosophos transfertur ad argumentationem, vt Longin. de Subl. 15, §. 9. et 1. cf. ibi Morus.

30) Plutarch Cat. mai. c. 12. extr. id. Apophth. p. 753. T. VI. Reisk. (vbi male Labῖeni nomen est, etiam in ed. Wyttenb. T. I. P. II. p. 793.) Cic. Brut. 21. vbi v. Wezel., Gell. N. A. XI, 8. vbi cfr. Gronou.

31) III, 32, 11. Οὐχ οὕτως ἐξι φροντιστέον τῆς αὐτῶν τῶν πράξεων ἐξηγήσεως οὔτε τοῖς γράφουσιν οὔτε τοῖς ἀναγινώσκουσι τὰς ἱστορίας, ὡς τῶν πρότερον καὶ τῶν ἅμα καὶ τῶν ἐπιγιγνομένων τοῖς ἔργοις. ἱστορίας γὰρ ἐὰν ἀφέλῃ τις τὸ διὰ

reddi historiarum cognitionem omnibus [32]), sed ipse non raro tum multa ex hoc genere, quae ad factorum euentorumque expositionem non pertinerent, immiscuit commentariis [33]), tum philosophatus est subtilius [34]); quae quidem omnia quum historiam pragmaticam efficere nunc existimentur, quis non facile credat hanc eius notionem, quae nostris est, menti etiam Polybii insedisse, quamquam eam aliis locis non diserte et accurate expresserit? Verum tamen, si illa omnia, quae diximus, historiae pragmaticae nomine comprehendi voluerit, quis non speret, auctorem adeo diligentem iis, quibus consulto de hoc historiae genere exponit, locis clare illa indicaturum fuisse? Nimirum partim illorum ipsa rerum gestarum plena enarratio continet, quum quae euentum aliquod vel antecesserint vel comitata vel sequuta fuerint vel casu quodam aut ratione effecerint, ad facta ipsa referantur; quam quidem ipsam

τῦ καὶ πῶς καὶ τίνος χάριν ἐπράχθη καὶ τὸ πραχθὲν (nihil enim cum Reisk. et Schweigh. transponendum est, modo comma post ἐπράχθη, quod feci, deleatur) πότερα εὔλογον ἔσχε τὸ τέλος· τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς ἀγώνισμα μέν, μάθημα δὲ οὐ γίγνεται (respexit ad Thucyd. I, 22. extr. vt bene ibi Gottleb. monuit, et sequentium colorem ex Thuc. VI, 83. duxit), καὶ παραυτίκα μὲν τέρπει, πρὸς δὲ τὸ μέλλον οὐδὲν ὠφελεῖ τὸ παράπαν. III, 32, 6. ἀκμὴν (quod male interpres lat. ad ἀναγκαιότατα retulit quum ad Φαμὲν pertineat, valeatque i. q. ἔτι, cf. intpp. Moer. p. 79. Sturz. Lex. Xen. I. p. 102.) Φαμὲν ἀναγκαιότατα μέρη τῆς ἱστορίας εἶναι τά τ' ἐπιγιγνόμενα τοῖς ἔργοις καὶ τὰ παρεπόμενα καὶ μάλιστα τὰ περὶ τὰς αἰτίας. III, 7, 7. διότερ οὐδὲν οὕτω φυλακτέον καὶ ζητητέον ὡς τὰς αἰτίας τῶν συμβαινόντων. Neque tamen semper causas et modos rerum vt exponeret necessarium duxit. Vid. I, 57, 3.

32) Vt nempe ἡ ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησις fiat ἀληθινωτάτη παιδεία καὶ γυμνασία πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις I, 1, 2. add. X, 48, 12 s.

63) Eo pertinent iudicia de aliis historicis, vt Ephoro, Callisthene, Timaeo, Zenone, Fabio etc. tum quae de musices studio ad ingenia emollienda necessario IV, 20 ss. de geometriae scientia imperatori necessaria IX, 20. scripsit, geographica etiam et topographica vt IV, 39 s. quamquam illa etiam a continua narratione seiunxit. v. Fragmm. Lib. XXXIV.

34) Vt de Hannibale eiusque Alpino itinere III, 48. de prudentibus et cautis, saepe tamen deceptis VIII, 1 et 2. Add. XV, 36. XXX, 7, 8. aliaque plura loca.

cum vberiore expositione et causarum, e quibus quidque natum est, et momentorum quae ad rem planius intelligendam pertinent, et effectuum memorabilium qui rem quamque consequuti sunt, coniunctam narrationem, Polybius etiam ἀποδεικτικὴν ἱστορίαν dixit [35]); alia autem ab historia, quae proprie dicitur, et pragmatica nominatim, distinguuntur et vel praeparandis lectoribus vel explicandis narrationibus vel iudiciis acuendis rerumque vsui confirmando inseruiunt [36]); alia adiiciuntur, vt, quantum prodesse historiae cognitio possit, intelligatur [37]).

Certum igitur est, *plenam, perspicuam et accuratam rerum vere gestarum narrationem*, (a qua nec causarum, quae ipsae in factis sunt, nec eorum quae cum illis coniuncta prius seriusue euenerunt, nec eorum quae ad rerum casuumque intelligentiam faciunt institutorum, consiliorum et factorum explicatio abesse per ipsam rerum naturam potest), *pragmaticam* veteribus dici *historiam*, eamdemque vere esse *historiam*. Ea enim quae facta et cuenta, vere, h. e. ita vti gesta quaeuis esse e certis et incorruptis rerum monumentis testibusue constat, diligenter, copiose, plene, clare, et ad communem hominum non inculturum tum intelligentiam tum vsum apte, iusto ordine et nexu exponit explicatque, non, quae inanibus coniecturis de iis quae fieri potuerint, incertis ratiunculis, adumbrationibus rerum gestarum variis, fucatis sententiarum et verborum coloribus, denique ementita philosophandi specie se iactat, edocet homines et instituit eorumque vitam omnem instruit et regit, historia.

35) v. Schweighäus. Not. ad Polyb. T. V. p. 431. μετ' ἀποδείξεως narrare idem Polyb. dixit III, 1, 3. X, 24, 3., quae vocabuli notio, diuersa ab ea qua Herodotus II, 148. ἱστορίας ἀπόδειξιν dixit, et respondens nostro *ausführliche Darstellung*, Lexicis addenda est.

36) Vid. II, 37, 3 ss. III, 1, 5 s. 12, 5. c. 23. 25. 26. VII, 14, 6.

37) Egregius eam in rem locus est V, 75, 6. nostris quoque hominibus commendandus, qui et ipsi possint μετ' εὐσχήμονος ἀναπαύσεως ἅμα καὶ διαγωγῆς ἐκ τῆς ἱστορίας περιποιεῖσθαι τὴν ἐμπειρίαν.

In qua quum nonnullos scriptores graecos, qui ante Polybium vixerunt, et alios veteres post eum, excelluisse, tum hunc, qui primus *pragmaticam* dixit, rerum ipsarum grauissimum auctorem et prudentiae omnis sapientissimum magistrum [38]), eminuisse constat. Cuius scriptoris lectionem quum inter nostros et docta praefatione commendauerit et noua editione augenda, ad quam in consilium adhibebatur a librario (1763.), *Ioannes Augustus Ernestius*, mirifice adiuuerit: non aliena nobis haec omnis disputatio visa est ab immortalis Viri memoria, quam solemni recoli oratione et filia eius et ex fratre nepos, *Augustus Guilielmus* legatis eam in rem pecuniae sortibus, quarum vsurae sumtibus faciendis impenderentur, voluerunt. Huic voluntati, quae, quanto iucundius est, diuina merita celebrare, tanto esse sanctior nobis debet, obsequuti auctores fuimus amplissimo et clarissimo viro, IOHANNI CAROLO DIPPOLDTO, Professori Philos. extra ordinem nuper designato, Bibl. acad. Custodi, vt oratione d. XV. m. Sept. h. IX. in Audit. mai. habenda pietatis officio satisfaceret. Cuius doctissimi Viri laudes et virtutes quo diutius omnibus cognitae sunt et probatae, eo certius confidimus, fore vt VOS, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, CELSISSIMI PRINCIPES, ILLVSTRISSIMI COMITES, VENERANDI ACADEMIAE PATRES ET DOCTORES, LITTERARVM FAVTORES CVIVSCVMQE ORDINIS, CIVES HVMANISSIMI, frequentes adsitis, atque ita oratoris facundiae, beati Ernestii memoriae nunquam intermoriturae, ordinis mei erga VOS observantiae, denique meis precibus beneuoli faueatis. P. P. Dom. XII. p. Fest. Trin. A. MDCCCX.

38) Recte, qui non cupide laudauit eum, *Johannes Müllerus*, eum ratione et intelligentia insignem esse dixit (Verstand ist sein Charakter, XXIV. Bücher allgem. Gesch. I. p. 177.), sed quidni doctis etiam hominibus placere ille, quod negare Müllerus videtur, voluerit? Copiosius de eius laudibus dixit Casaubonus in Epist. ad Henricum IV. Regem, quam nollemus cum aliis Casaubonianis in recentissima Polybii edit. omissam esse, nunc in edit. Ernestii T. III. p. 603 ss. legendam.